

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

logis, & ut jam comperimus, etiam cum D. Jacobo, de suis lectionibus. Sed ii Calvinicam & Zvinglianam hanc esse doctrinam demonstrarunt, nec à se acceptam, quam ille profiteatur. Idem ei in os à D. Jacobo, audiente D. Doctore, dictum est, & additæ sunt minæ, si deinceps Tubingenfium testimonio ad hos stabilendos errores abutatur. Sparsus erat rumor, sed qui jam evanuit, Lipsiam, aut certe in Saxonie aliquam scholam vocatum illum fuisse. Scripsi festinans sub noctem concubiam: 15. Aug. 71. Reverendum Præceptorem tuum, meum etiam Patrem, D. D. Sulcerum, cum domum redieris, meo nomine reverenter & officiose salutabis.

Tuus in Domino frater

Johannes Pappus.



LXV.

Salutem in Domino.

Quæ à discessu Weislandi proximis his diebus venerunt, ea tametsi lætiora mallem scribere, tamen quia Domino DEO ad emendationem nostram visum ita fuit, ordine perscribam. Die enim S. Laurentio festo, turris anterior templi Thomani celitus tacta est fulmine; quo eodem, proh dolor, Procurator ejus Collegii, vir, qualem vos nostis, extinctus, cæteri Capitulares, ut vocant D. Beutherus, Dn. Faber, Pastor, M. Golius, Stephanus Aedituus, Conradus Dasipodius afflati etiamnum graviter decumbunt, sed ita, ut vitæ longioris spem habeant propè certam. Ante mensem & amplius, milites custodes portæ Hospitalariæ, & turris telonaria tacti fuerunt, sed sine noxa. Ita eodem ferè tempore Magistratus, Ecclesia, Schola horrendis prodigiis divinitus percillantur. Quid futurum sit, nisi faciamus sepem, stemus oppositi contra DEUM pro terra, ne dissipet eam, ut Propheta loquitur, non difficile est, sed triste ominari. Pro certo affirmatur, Norimbergæ tum eodem fulmine murum LXXII. pedum disjectum esse. Hæc utinam non sint nuncia Turcicæ immanitatis, sed signa porius Filii DEI, brevi venturi ad judicium. Heri D. Sturmii filius magno cum luctu Parentis mortuus est, & sub vesperam sepultus. Σχηματισμοὶ illi prodierunt, quorum mitto exemplum. In Dn. Rectore pertinax videbis odium, & vere τερροειδὲς ingenium: in Hawenreutero vel stupendam stoliditatem, simplicitatem dico, vel detestandam malitiam. Sed prius magis arbitror, quod minus est vitium, si cum altero comparetur, per se satis magnum. Nam ipse mihi duo exemplaria


Ccc

obtu-

obtulit, alterum D. D. ut traderem, alterum mihi ut servarem. Postremas tuas Pedellus noster rectè mihi reddidit, ex quibus non sine magna indignatione priores meas interceptas cognovi; quid mihi faciendum sit, omninò dispiciam. Sunt enim Huberti filio, Samueli, commissæ, qui se eas accepisse fatetur, affini suo & D. Sulceri tradidisse, ut video, mentitur. Quæstio mea erat de Augustana Confessione, quam nostris auditoribus constitui absoluto jam Hosea explicare. Sed dum istorum perfidia tu mihi non potes respondere, ego nihilominus hoc ipso die de voluntate Dn. Doctoris in eam, quod felix sit & faustum, præfabor. Itaque ut à te prius consilium, ita nunc inchoata re auxilium postulo, tuasque ad DOMINUM preces, ut ipse vires sufficiat satis difficili explanationi. Vale in DOMINO chariss. frater & amice colende. Nocte concubia & inter meditationes historiæ Augustanæ Confessionis, 25. Augusti, 1571.

Tuus ut semper ex animo frater

Johannes Pappus.



LXVI.

S Filiorum tuorum studia fœliciter succedunt, & promotionem spero brevi futuram, ut postmodum Theologica tranquillius perfequantur. Doler Magistralui nostro, quod T. d. ignorarit præsto fuisse, qui de filiorum solummodo adventu intellexerat, alioquin honore fuisset eam uberiore profecurus. Globos Astronomicos mitto, de quibus Durlacum transvehendis quæso per occasionem provideas, scribam posthac, quum in præsentiarum non liceat. Bene vale cum tuis omnibus. Basl. 24. Septembr. Anno 71.

T. d. totus

Sulcerus.

Commendo studiosum hunc, est vere pius & studiosus.

LXVII.

S Cum hic Juvenis, M. Bartholomæus Tornarius per suos Mecænates avocaretur, non potui eum sine meis ad te literis dimittere, ut intelligeres, quo loco sine